

1439 nini æmulatione , tum recenti in Philippum odio & mnia enixe facturum , ut e manibus hostium præsentem victoriam extorqueat . Movit vehementer Patres Æstensis oratio , actæque sunt illi gratiæ ingentes , & quod ea temporum novitate suam fidem , ut amicum fidumque socium decuit , Senatui coram probasset ; & quod de iis , quæ rei Venetæ conducere pugnasset , amice differuerisset . Sed de illis postea matura consultatione Senatus erat visurus . Sunt qui tradant , tum illum Rhodigum cum tota insula a Venetis dono recepisse : sed ea potius approbatio quædam fuit eorum , quæ de Polinesi restitutione nuper acta erant .

His itaque Patres in spem haud dubiam restituti , ex literis Jacobi Antonii Marcelli in senatu recitatis cognovere , post Penetram & Turbulas receptas , cœpisse Mellitam circumspicere , qua vi , quave arte subvenire posset Brixiensibus : atque jam aperte constare , si parum anniti vellent , lacus Venetis aperiendi occasionem non defuturam . Ea re adhuc magis Patres bene sperare jussi , plures legationes simul decernunt : Joannem Pisanum in Picenum ad Sforciam mittunt , Franciscum Barbadicum Florentiam : Petrum Advocarum in curiam accerfatum , docent , quæ Mellita de commeatu Brixiae importando monsiretur . Hortantur itaque illum ut primo quoque tempore ad exercitum iret , atque ibi cum ipso duce de futura expeditione communi consilio agaret , hortareturque Paridem Ludronio per literas , ut in Venetorum amicitia & fide perstaret : Brixiensibus quoque significaret , neque commeatus , neque auxilia eis defutura : durarent tantisper , duni ea studio expedirentur . Hæc domi . Mellita , copia tritici maxima Penetram contracta , quia alia via non poterat , per montes statuit opem Brixiensibus ferre . Per nuncios igitur Paridem admonet , ut quam longius posset , frumentatoribus obviam prodiret . Quatuor cen-

Mellita
Brixiam
commeatus
juvare co-
natur.